

I. De partium Septentrionalium quibusdam affectibus & remediis. Autore Philippo Lloyd. M. D.

BAlnea nusquam frequentiora sunt quam in Lithuania: Balneum ingressi postquam largiter sudarunt, cucurbitas sibi apponi faciunt, aut virgis tergum cædunt usque ad insignem ruborem: Inter Cosaicos quoque si quis graviter infirmatur, Balneum ingreditur, & corpus tegunt certis herbis, partique dolenti applicant certum Cornu Cavum ad vesicam attrahendam, quâ ruptâ effluit ichor varii sepe coloris, flavi, viridis, & nigri, & patiens convalescit; varietas autem ista colorum, herbis quibus patiens tegitur aut Cornu fuso aliquo imbuto adscribi debet. Cosaicorum quoque Cura multum in Aqua Vitæ, aut Jusculis acidis cum oleo & pipere ad sudorem eliciendum, consistit: nec abstinent in Diæta à carnis cum aceto & cæpis coctis, quod Bigot vocant: Sicuti autem istæ nationes pharmaceutica non multum æstimant, ita vice versa sunt prodigales quoad ea quæ ex fonte Chirurgico petuntur, ut Ven. Sect. usum Sanguisugarum (quas etiam palato & gingivis intro applicant) fonticulos, & trepanationem, cuius usus est valde frequens in Suecia bono cum successu; habent enim Sueci capita satis dura & ursina. Apud Moscovitas usus herbae Theæ ob viciniam cum Chinensibus frequens est, non solum in decocto sed in substantia pulverisatam sumunt pondere 3s. cum Aqua Vitæ.

Sunt apud ipsos pastilli certi odoriferi & flavi coloris in usu; per narcs attrahunt pondere gr. iv, ore aperto. Per 2 horas ranta copia muci viscidii relictum, quantum vix Catharticum eliminare possit, quo remedio curant omnes affectus Capitis à fri-gida causa ortos: aliqui hauriunt fumum Sabaci, non per vices, sed simul & semel, ex tubulo capaci de hoc fumo quantum possunt deglutiendo; tunc corrunt in terram non aliter quam Apopplexia tacti; somnum abbreviat superveniens vomitus & alvi perturbatio, quod etiamsi non superveniat, postquam expurgantur capitis levamen sentiunt, & sunt ad omnia bene dispositi.

Natio Tartarorum ut plurimum à teneris lactis & carnis Equinæ pabulo assueta, in continuis equitationibus Medicinam quærens, præter externa eaque Empyrica, pauca interna excusat remedia; v. g. dum quis graviter infirmatur, & est suspicio febris malignæ, tunc capiunt lepusculum juvenem, cui incident arteriam Carotidem, & sanguinem fugit ager quamdiu poterit, postea pelle detracta & calente tegit caput, seque ad sudorem & somnum disponit: dum quis ex captivis aut servis febri corripitur, tunc apprehensâ Comâ ipsum aliquantis per exagitantes & circum rotantes in aquam profluenterem projiciunt, hocque modo humores & spiritus alterando procurant febri fugum. Hæc

Hæc sunt quæ ab amico in Castris accepi, qui diu versabatur in locis istis Septentrionalibus: idem mihi retulit Coronidis loco dari obsfuscationem solo aspectu inductam in Lithuania præser-tim (Credat quis vult) ubi homines effluviis subtilibus ex oculis emanantibus non modo aliis noceant sed etiam animalibus: hoc mali genus Uroki appellatur: ad quem effectum producen-dum requiritur approximatio corporum vicinissima, & deinde ne alter altero stet notabiliter editiore loco: curantur tales præci-pue balneo, Origano, Hyperico, aliisque herbis parato; suffumi-gio ex crinibus, unguibus aliisque partibus ipsius obsfuscatoris si fieri potest, & demum sudoribus.

Inter Tartaros si quis ex Equo vel aliâs graviorem passus est Casum, ante omnia illum stimulant ad urinam, dein Venâ sectâ Ossa Equorum combusta vel certum albi boli genus quo Terra illa abundat, ad ebibendum præbent.

Lac equinum acidum factum est illis universale omnibus morbis calidis refrigerium, imo balsamicum Stomachale.

In variolis infantum, loco venæ Sect. apponunt Moscovitæ cu-curbitulas scarificatas clunibus, subinde sanguisugas. Emulsi-o-nes parant ex semine Napi, haustui imponunt album græ-cum.

Poloni habent certum medicamentum alimentosum ipsis fa-miliare Barit. dictum, quod fermentum stomachale acido suo suaviter restaurat, & Polonicæ Nationis crapulas, ex largiori, cremati, mulsi, & vini generosi, haustu, vel ex Ciberum cali-dorum copiâ contractâ conveniens: hoc edulii medicamen-to genus ex Branca ursina, vel ex solo pane filigineo fermentato suo modo, conficere norunt in forma decocti herbacei a-quosi.

Cæterum si quis inficiari incipit, si cœpit titur de ingenti capitis dolore, tunc ibus vel ex arteriis, &c. &c. Statim formatur papulae de plicâ fræ Kotkani & cibis illud patagunt quam plicata in Capitis capillis procurante. Si autem ratione ex branca in finâ aliquæ herbae, vel latèrni maximaâ alio & vini sepius levando Caput, efficiuntur. Plicata procurant, in capite, videtur ipsi morbus mitescere materia morbifica quasi criti-cè sic translata, & naturæ totum relinquitur opus: quod plau-nè indicat hunc morbum ab alia causâ quam neglectu pectina-tionis produci; si quis pestinando divellere aut Capillos abscin-dere tentat, in aliud incidet morbum, & sanguis sèpe effluit tanquam ex venæ ramulis pilis abscessis; nec mirum hoc vide-ri debet, cum pili ex arteriæ, venæ, & nervorum ramulis in Capsula inclusis, & postea extensis formentur, ut patet autop-hia;

sia ; ope microscopii in pilis barbae felis aliorumque animalium.

Quicquid de causa Plicæ tradunt authores vel nimis genericum est vel imperfedium & insufficiens : nam quod ad aquas in Russia spectat, et si certum sit ex illarum haustu causari, unde etiam dum exercitus militaris illes partes transit ad aquarum istarum vada ali stant vigiles milites transcurrentibus prohibiturne similes aquas hauriant. Quæritur quomodo illi qui ad 100 leucas inde disti habitant & ultra Plicæ corripiuntur ? nisi forte nobis persuadeamus aquæ illius ex Russia venas propagari per totam Poloniam.

Causa intrinseca in glandulis subcutaneis constitui potest, quomodo plures earundem ductus & peri conjuncti sunt ac obliqui, ex quibus deinde pili copiosiores angustiore in loco positi, accedente simul glandularum succo nimis viscido, intricantur & complicantur ; sed & ista causa cum extra Poloniam dari possit, ad morbi Endemii naturam, sola non sufficit : quamobrem causa adequa passim in Contagio partim rerum non naturalium uero incongruo querenda : de contagio non dubitandum, cum familiare sit itinerantibus lectos secum circumvehere : aer satis rigidus Boreali acido coagulante abundat, unde transpiratio pituitæ illius glutinosæ circa pilorum radices harentis facile impeditur, vel maxime dum Poloni nudato Capite frequenter incedere consueverunt.

Laborantes hoc morbo habent appetitum in certum objetum defixum alii solam Aquam expetunt, ali crematum, alia potulenta aversantes : ex similibus remediis in scorbuto juvantur.

Præter febrem malignam Hungaricam dictam, occurunt alii morbi levioris momenti. Endemii ut Czemer, porcellus Cassoviensis, strumæ.

Czemer est tumor aliquis sub carpis manuum a latere supra arterias ad instar nodi alicujus mollioris, dolorem dum tangitur excitans ; curatur emetico & sudoriferis.

Porcellus Cassoviensis est tumor durus instar porcelli, regioni lienis incumbens incolis Civitatis Cassoviensis familiaris, estque schirrofa dispositio lienis cum flatibus Colon obſidentibus : curatur aperitivis.

Strumosi in Hungaria non reperiuntur nisi circa montanas civitates ubi auri sunt fodinae propter aquas mercuriales & effluvia mineralium : decrescente Lunâ spongiam combustâ fumum ore excipiunt strumosi & residuum Cinerem melli admixtum devorare solent in principio ; nam strumæ inveteratæ nullam admittunt Curam.